Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25968
Copyright: Admont, Benediktinerstift



misericordiarum fuerimus. Secundum hæc dicta promissa. ipsi nos recipiant in æterna tabernacula. Tabernacula ista. sunt corpora nostra. quæ nec quidem carnalia. infirma. mutabilia sunt. sed spiritualia. et æterna erunt. in æternæ beatitudinis gloria. ubi fruitio est sine miseria. sine omni corruptionis molestia. ubi caro spiritui nunquam aduersabitur. ubi solus ipse quicondidit nos. spiritui animæ. et corpori nostro æternaliter præsidebit. et dominabitur. Hoc præstante domino nostro. qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

HOMO QUIDAM ERAT DIVES QUI HABEBAT VILLICUM. Et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius.

IN HAC PARABOLA SICUT ET IN CETERIS PARABOLIS. Sapientes et eruditi. multiplicem inuenire possunt doctrinam edificationis. quia sic uerba sonant parabolæ exterius audiunt. quod minus spiritualis intelligentiæ doctrina requirunt. Insipientibus autem et negligentibus. et ea quæ extrinsecus audierint surda aure contemnentibus. sola quidem superficies lucrum et quodammodo risus parabola. dum in ea nulla requirunt salutis et doctrinæ commoda. nam ad tempus uidet parabola audiunt. sed boni operis efficacia hæc quæ audierint adimplere negligunt. Nos autem magnum deo donante scimus et possumus. sic audiam sonantem litteram perscrutemur parabolæ. ut ex hac aliquid sumamus ad usum edificationis nostræ. Homo quidam magnus erat diues. qui habebat uillicum. Homo iste diues. et reuera homo ille singularis. ut sano intellectu audiatur